



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres**

**Schevichavius, Gisbertus**

**Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.**

Cap. XCV. Divini Officii Rite Persoluti vtilitates.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42349**

C A P. XCV.

DIVINI OFFICII RITE PER-  
soluti utilitatis.

§. 1. Illud & ante mentis oculos proponant, quibus  
quantisque bonis se & alios cumulent, qui ritè  
diuinum officium persoluunt. 1. Deum honorant,  
qui ait Psalmo 49. versic. 14. *Immola Deo sacrificium  
laudis: & redde Altissimo vota tua.* Et vers. 23. *Sacrificium  
laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare  
Dei.*

§. 2. Angelos laetificant, quibuscum communem  
Dominum laudibus extollunt Psalmo 137. v. 2. *In con-  
spectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum tuum  
sanctum, & confitebor nomini tuo.*

§. 3. Cœleste Numen hominibus propitiant & con-  
ciliant Iacob. 5. v. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata  
vestra, & orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet  
deprecatio iusti assidua.*

§. 4. Fidelibus defunctis leuamen vel etiam libera-  
tionem impetrant. 2. Machab. 12. ver. 46. *Sancta ergo  
& salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis sol-  
uantur.*

§. 5. Publicis necessitatibus subueniunt. 1. Timoth.  
2. v. 1. 2. 3. & 4. *Obsecro igitur primum omnium fieri obse-  
rationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro  
omnibus hominibus: pro regibus, & omnibus, qui in sublimi-  
tate sunt, vt quietam & tranquillam vitã agamus, in omni pie-  
tate, & castitate, hoc enim bonum est, & acceptum coram Sal-  
uatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri & ad  
agnitionem veritatis venire.*

§. 6. Gratias Deo agunt pro pluribus maximisque  
beneficiis in Ecclesiam collatis, & vt alia conferat,  
obti-

obtinent. 1. Paralip. 29. v. 10. sed & David Rex letatus est gaudio magno. Et benedixit Domino coram vniuersa multitudine, & ait: Benedictus es Domine Deus Israel patris nostri ab aeterno in aeternum, & vers. 20. Praecipit autem David vniuersa Ecclesia: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis Ecclesia Domino Deo patrum suorum: & inclinauerunt se, & adorauerunt Deum, & deinde Regem. Eph. 6. v. 18. 19. 20. Orantes omni tempore in spiritu & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus Sanctis (fidelibus) & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Euangelii, pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui.

§. Seipfos meritis donisque spiritualibus augent. Ioann. 16. v. 23. Amen Amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

§. Munus suum propter quod sunt Clerici, & a populo aluntur, explent, ut pro eo deprecantur. Leui. 9. v. 7. Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocaustum, & deprecare pro te & pro populo, cumque mactaueris hostiam populi, ora pro eo, sicut praecipit Dominus. Ioelis 2. vers. 17. Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominantur eis nationes, quare dicunt in populis: Vbi est Deus eorum, Hebraeo. 5. v. 1. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerant dona, & sacrificia. Quod qui non faciunt bonorum ab Ecclesia acceptorum, quasi raptores sunt, & interuersores, cum in hunc finem Deo & Ecclesiae oblata sint.

